

Obstetr.

720

Cur. ob Petr. 50^a

DE
FEBRE SIC DICTA PVERPERARVM

DISSERTATIO

QVAM

AVCTORITATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

P R A E S I D E

CHRISTIANO FRIDERICO LVDWIGIO

PHIL. ET MED. DOCTORE PATHOLOGIAE PROFESS. PVBLIC. ORDINAR. HISTOR.
NAT. P. P. EXTRAORDINARIO FAC. MED. LIPS. ASSESS. PRAEFECTVRAE LIPS.
PHYSICO PROVINCIALI SOCIETT. OECON. ET TEVTON. LIPS. REG. PATR.
STOCKHOLM. AGRAR. PARIS. NAT. SCRVTAT. BEROL. HALENSIS IENENSIS
MINERAL. IENENSIS SOCIO, SOCIETT. REG. SCIENT. GOTTINGENS. ET
MED. ET CHIRVRG. HELV. TVRIC. CORRESP.

P R O G R A D V D O C T O R I S

MEDICINAE ET CHIRVRGIAE

OBTINENDO

PVBLICE DEFENDET

A V C T O R

BENIAMIN CAROLVS FICKEWIRTH

TENNSTADIENSIS

MEDICINAE BACCALAVREVS

Dr. R. Küllner.

A. D. XXXI. MENS. AVG. d^o 1^o CCLXXXVIII

LIPSIAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA

DE

FEBRE SIC DICTA PYREPERARIA
EXPERIMENTUM DOTTORIS
DISSERTATIO

CHRISTIANO WILLIARDI RAPPINO
AUGUSTATE GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS
MEDICINAE DOCTORI

P R A E S I D E

CHRISTIANO FRIDERICO LUDWIGIO

PHIL. DOCT. PUBL. LIBR. UNIV. DRESDEN. 1774
LUDWIGIO CHRISTIANO FRIDERICO
PHIL. DOCT. PUBL. LIBR. UNIV. DRESDEN. 1774
LUDWIGIO CHRISTIANO FRIDERICO
PHIL. DOCT. PUBL. LIBR. UNIV. DRESDEN. 1774

PRO GRADU DOCTORIS

MEDICINAE PRACTICAE

OSTENDENDO

IN PUBLICA DEFENSIONE

ACTORIS

BENIAMINI CAROLVS FICKEWIRTH

LEIPZIGENSIS

PROFESSORIS PRACTICAE

A. D. MDCCCLXXIII

LIPSIAE

EX OFFICINA ALVARII

V I R I S

EXPERIENTISSIMIS DOCTISSIMIS
AMPLISSIMIS

CHRISTIANO ERHARDO KAPPIO

MEDICINAE DOCTORI

SOCIETATIS NATURAE SCRVTATORVM BEROLINENSIS ET
OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIO ETC.

NEC NON

CAROLO CHRISTIANO FRIDERICO
MENZIO

MEDICINAE DOCTORI

VRBIS LIPSIAE MEDICO OBSTETRICIO PVBLICO ET
OECONOMICAE LIPSIENSIS SOCIETATIS SODALI ETC.

FAVTORIBVS PIE COLENDIS

CHRISTIANO KAPPIO
MEDICINAE DOCTORI

H V N C L I B E L L V M

OMNI, QVA PAR EST, REVERENTIA


CAROLO CHRISTIANO FREDERICO
MEXZIO

D. D. D.

A V C T O R.

§. I.

In numero tot, tamque varii generis morborum, qui corpus humanum fragile, atque caducum infestant vsque, ac collabefactant, non facile vllum reperiri posse puto, de cuius causis tantopere dissenserint, de cuius sanandi ratione in tam diversas abierint partes, quotquot ab Hippocrate ad nostra vsque tempora numerantur medicae artis peritissimi, quam de eius causis, atque curatione, qui corpus tenellum sequioris sexus in partu maxime affligit, quique communi *febris puerperarum* venit nomine. Atque haec quidem doctissimorum virorum dissensio non parum vel impedit, vel suspensum tenet eum, qui morbis curandis primas ingenii sui vires impendit, nisi praecefferit theoria puris principiis superstructa, longaque, ac diuturna peritiorum practicorum experientia confirmata, atque subacta, in primis quum huic vel illi casui semper obftet, necessarioque obftet alius casus non minus euidens, cuius ratio fere confundere alterius rationem reperitur. Quamuis enim experientia per se vna sit, semperque esse debeat, ita, vt nullo modo natura censi possit a legibus scriptis recedere
A firmis,



firmis, diligentissimeque cautis: ea tamen esse fere solet eorum, qui naturae legibus inuestigandis innituntur, vel imperitia, atque inertia in experimentis deligendis, vel male sedula, nimisque docta diligentia, atque subtilitas, ut, quae inde prodeant, aut manifesto falsa, atque erronea, aut dubia certe, atque vaga esse deprehendantur. Quod quidem quum viderem etiam accidisse in febre puerperarum, non omnino superfluum fore putavi retractationem huius morbi diligentiozem, quantum illud et per fines, quibus circumscripta est diatribe, et pro virium mearum tenuitate fieri posse intelligerem. Versabor autem, in hac omni re discutienda ita, ut primum, quid placuerit medicis peritissimis de hoc morbo, critice perlustrem, deinde ut meam qualemcunque de hoc morbo eiusque curatione exponam sententiam. Itaque ad ipsam rem nunc accedo.

§. 2.

N o m e n.

Omnino enim videntur ii, qui nomen indiderunt morbis in partu obuiis, non parum errasse partim in eo, quod plane non haberent rationem causae proximae; quod tamen eo severius ab illis poterat postulari, quo magis esse fere solet perniciosa haec negligentia, atque incuria; partim in eo, quod pro causa proxima haberent, quae non esset nisi remota, atque occasionalis, quam dicunt, aut morbi etiam ipsius consequentia. Quod si quis causam huius vel incuriae, vel erroris inuestigauerit, eam certissime puto iri repertum in cognitione
parum

parum accurata partium organicarum viuentium, quarum quidem mixtione iusta, aut minus iusta, vt functionibus independentibus quicunque censetur status, vel sanus, vel aeger omnis omnino corporis¹⁾).

§. 3.


Opiniones variae.

Iam vero etsi nunc quidem in eo fere consentiunt omnes, tantum abesse, vt febris puerperarum peculiaris sit quaedam morbi species, vt ea potius nunc hanc, nunc illam sumat formam, eodem semper morbi caractere expresso, differatque fere nonnisi gradu vehementiae, quae et ipsa iterum pendeat a maiori, vel minori irritabilitate, euentisque in partu obuiis: tamen in caussis morbi detegendis admodum a se inuicem abire reperi et antiquiores, et recentiores medicos, quorum vel scripta consulere, vel sermones conferre mihi licuit. Reuocari autem eorum opiniones possunt, quantum equidem vidi, ad classes quatuor has. Etenim alii retentionem aut metastasin lactis agnoscunt causam primariam: alii eandem in suppressione fluxus lochiorum visi sunt sibi reperisse: alii eam in inflammatione (vteri, aliusue partis abdominis) aucupati sunt: fuerunt denique, qui eam in gastrica quadam materie odorarentur.

A 2

§. 4.

1) v. *Roeschlaub's Pathogenie*, To. 1. §. 58. *Reil's Fieberlehre*, To. 1. §. 30. 31. 32.



§. 4.

a) *De metastasi lactis.*

Et ex his quidem, qui *metastasi lactis* censent esse proximam febris puerperarum causam, liceat modo nominari LEVRETVM ²⁾, DVLGETVM ³⁾, DVBLETVM ⁴⁾, PVZOSVM ⁵⁾, SVIETENIVM ⁶⁾, SELLIVM ⁷⁾ atque HVFLANDVM ⁸⁾, magni nominis viros, quorum tamen opinioni has maxime ob causas nullo modo possum suffragari. Primum enim in hoc puerperarum morbo non semper lac desideratur, etsi nonnunquam, maxime tamen in crisi morbi, ita vt facile pateat, eum, qui in lacte deficiente morbi causam quaesiverit, vel ex symptomatibus nomen morbi impositurum, adeoque multa temere conturbaturum ⁹⁾, vel omnino temere morbi furorem coërcere, aut reprimere conaturum. Deinde fac, retineri lac, quod

2) *L'art des accouchemens.* Par. 1766. germanice in *den Samml. auserlesn. Abhandl. f. pract. Aerzte.* I, 1. 139. ff.

3) *Journal des savans pour l'année 1786.*

4) *Journal de médecine.* 1782. Dec. germ. in collect. laudata. To. 8. P. 5313.

5) *Diff. sur les dépôts laiteux, ou le lait repandu.* germ. coll. laud. To. I. partic. I.

6) *Commentar. in Boerhau. aphorism.* To. 4. p. 611.

7) *Medicina clinica, oder Handb. der medic. Prax.* (Berl. 1797. 8.) p. 498. ff.

8) *In Starcke Archiv für die Geburtshülfe.* To. I. part. 3.

9) *Quod temere fit, vt docuit Reil über Erkenntn. und Cur der Fieb.* Hal. 1797. To. I. p. 133.

quod tamen non semper fieri modo vidimus (immo interdum ad finem vsque vitae lac in mammis bullit): non tamen sequetur eam retentionem necessario febris, quum vel excretio lactis, vt aliarum rerum, quam naturam vsque facere videmus, locum habeat. Recte igitur BURSERIVS DE KANILFELD ¹⁰⁾: „nullo modo concipi posse,“ ait, „quare liquor adeo blandus, adeo dulcis, temperatusque, adeo naturae amicus, puerperis, siue retentus, siue resorptus, febram tam interiorum, quam exteriorum, partium excitare debeat, nisi antea insignem labem contraxerit, aut alia quaedam causa accesserit, uti subita refrigeratio puerperae, aut graue aliud diaetae erratum, cui huiusmodi mala rectius veriusque attribui possint.“

§. 5.

Neque vero tertio huc faciant humores lactei in cauitate abdominis, thorace, pulmonibus, aliisque cadauerum partibus reperti, partim, quoniam non semper sunt reperti, partim quoniam vel in corporibus, quae longe alius destruxerat morbus, quidquod in masculis sunt detecti. Quam in rem SVIETENIVS ¹¹⁾ iam ex historia acad. Par. a. 1729. laudauit exemplum. Repererant enim anatomici in abdomine iuuenis humorem septem librarum et dimidiae album, substantiae lacteae, vel casei naturam referentem. Aliud eiusdem generis extat apud LIEVTAVDVM ¹²⁾, qui narrauit de humore lacteo satis

A 3

copioso

10) Institut. medic. practic. Vol. I. §. 463.

11) In Boerhau. aphorism. §. 75.

12) In hist. anat. med. To. I.

copioso reperto in abdomine puellae septennis cum mesenterio scirrhoso, vel materia quadam albicante, et quasi cretacea infarcta.

§. 6.

Vt vero meam de lactis in puerperarum mammis retentione dicam coniecturam: non fortasse ea, a morbo demum effecta, pendeat ab alimentorum deminutione, vel interdum, idque saepius, ab euacuatione nimia medici opera effecta? nonne saepius retentio atque metastasis lactis confundatur cum eiusdem defectu? Scilicet ipse vidi non semel, adhibitis medicamentis corroborantibus, cibisque nutritiis lac rediisse, quod antea in victu parciori, catharticisque plane defecerat.

§. 7.

His, quae diximus, obstare videntur abscessus e stagnatione lactis exorti, vbi praecesserint causae externae, velut refrigeratio, terror, et aliae, febrisque per materiem irritantem effecta. Sed omnia recte se habere patebit cuique, qui cogitauerit, abscessus illos productos a refrigeratione in ipsa agere organa, ita, vt, horum mixtione sana sublata, aut conturbata necessario oriatur febris, nullo vero modo lactis corruptio proxima causa possit morbi censerri.

§. 8.

Itaque patet, partim retentionem ac metastasin lactis non posse haberi causam febris puerperarum proximam, partim

tim

tim hanc lactis mutationem non esse nisi effectum morbi, vel ad summum causam occasionalem.

§. 9.

b) *De retentione fluxus lochiorum.*

Atque eodem modo statuendum etiam putamus de *retentione fluxus lochiorum*, quam ad proximae causae locum euehere placuit HIPPOCRATI ¹³⁾, SENNERTO ¹⁴⁾, BOERHAVIO ¹⁵⁾, MAURICAVIO ¹⁶⁾, MOTTIO ¹⁷⁾, ASTRUCIO ¹⁸⁾, et aliis. Etenim nec haec statim ab initio morbi locum habet, immo vel secundo eius die, vel in puncto, a quo exitus morbi pendet. Fere defunt in personis iis in primis, qui in ipso partu sanguinis fecere iacturam, sed ita, ut non sequatur febris, aliussue status corporis aeger. Contra reperiuntur usque et sine intermissione fluere, si morbi omnis vehementia non fuerit nimia.

§. 10.

c) *De materie gastrica.*

Fuerunt, qui causam proximam huius morbi dicerent esse *materiem quandam praeternaturalem congestam in intestinis*
rem-

13) v. de morbb. popularr. l. I. et II.

14) Opp. To. 3. (lib. 4. P. 2. sect. 7. cap. 2.) Lugdun. 1656;

15) Aphorism. 1129.

16) Traité des maladies des femmes.

17) Traité complet des accouchemens. l. 5. ch. 6.

18) Traité des maladies des femmes.

tempore grauiditatis. Ex illis, qui huic opinioni patrocinantur, laudo STOLLIVM ¹⁹⁾, S. G. VOGELIVM ²⁰⁾ et LENTINVM ²¹⁾. Vterum nempe tempore grauiditatis sensim in abdomen tolli dicunt, adeoque grauitate oneris premere intestina, vt et digestio ciborum impediatur, et sordes congestae obstruant; in primis quum non paucae mulieres grauidae leges diaeteticas migrare soleant; has autem sordes, vbi liberata fuerint per partum intestina vteri onere, ita intestina, visceraque abdominalia irritare, vt morbus erumpat.

§. II.

Iam verum est, posse sordes tales congeri in visceribus, posse hac earum congestione obstrui intestina; sed non haberi poterunt vnica proximaque morbi caussa. Immo altius causam repeti posse putauerim, scilicet a vi motus intestinorum peristaltici infracta, quae, quum vteri grauidi onus nimium incumbens intestinorum laederet organisationem, non poterat non infringi. Harum autem partium integra vi neque collabefacta, quaeritur, an possint hae sordes post partum morbum efficere? Quod quidem quominus affirmemus, impedit experientia, quae morbum docet nequaquam oriri in personis caeteroquin sanis atque robustis, si vel migrauerint diaeteticas leges, si vel adsit gastrica materies, nisi aliae accesserint caussae, quae debilitent organa plus iusto irritata. Adde, quod

19) Ratio medendi, To. 2.

20) Handbuch der practischen Arzneywissenschaft, (Stendal 1789. 8.) To. 2.

21) In den Beyträgen zur ausübenden Arzneywissenschaft. Lips. 1797.


quod parum proficere fere reperitur gastrica methodus, vbi ea sola morbi medelam confici posse quis crediderit, quantumvis, maxime ab initio morbi, profint euacuantia lenia per os, et anum, quippe quae, nisi inflammatio exarserit, nisi nerui fuerint male affecti, omninoque vires corporis fractae, absorbeant incitamenta.

§. 12.

d) *De putredine.*

Quae quidem omnia quum intelligeret WHITIVS, maluit a *putredine* maxime et vnice repetere caussam omnium malorum ex hoc morbo orientium ²²⁾. Iam etsi nolim inficias ire, in regionibus paludosis, atque vliginosis maxime, posse diaetam nimis calidam, immunditiem, temperiem quandam aëris peculiarem, hyemem nimis vdam, venaesectiones haud indicatas, vomitum, ac purgationem nimiam, ita vim omnem vitalem infringere, corpusque destruere, vt sanguinis thrombi e partu residui, aut secundinarum particulae, alienae illae a partibus organicis viuis, facillime abeant in putredinem, humoresque sensim corrumpant: tamen partim non semper, et vbique adsunt hae res omnes, partim opponi possunt exempla plane contraria. Immo quod pus videbatur WHITIO videannon constituat potius materiem quandam irritantem, quae, si modo vi vitali adhuc polleat organisatio, incassum in eam, et

22) v. *White's Behandl. der Schwang. und Kindbett. a. d. Engl. 1775.*



et ita agat, vt vel non excipiatur a corpore, vel excepta egeratur colatoriis diuersis, eodem modo, vt faeces alui, etc. Vera enim ac genuina putredo non est nisi in partibus emortuis, vt sphacelo, non vero in organis vi vitali florentibus, quae nunquam ita possunt dissolui, vt existat putredo. Idem valet de partibus fluidis, quae et ipsae dissolui chemice nequeunt ita, vt in putredinem abeant, licet corrumpi quodammodo possint. Eandem putredinem non produnt effluxus foetidi e partibus genitalibus, qui e grumis sanguinis partibusque secundinarum oriuntur, non lochia putrida, nec sudores. Et enim hae res omnes non pertinent ad partes organicas viuas, immo extra eas reperiuntur, pendentque maxime ab ingenio atmosphaerae.

§. 13.

e) *De inflammatione*

α) *uteri.*

Accedimus ad eos, qui in *inflammatione* visi sibi sunt deprehendisse morbi causam proximam. Eam inflammationem esse *uteri* contendunt FELIX PLATERVS²³⁾, EDVARD IOHNSTONIVS²⁴⁾, TISSOTVS²⁵⁾, et THO. KIRKLANDVS²⁶⁾.

Certum

23) In Praxi medica. (Basil. 1602.) To. 2. c. 13.

24) In *Duncan's* medical commentaries. 1780. P. I. p. 98. germ. in collectione diss. selectar. laudata. To. 6. p. 103.

25) Avis au peuple sur la santé, ou traité des maladies les plus fréquentes. 1767.

26) *Versf. über die Kindbettfieb. a. d. Engl. v. Scherf. Gorb. 1777.*

Certum enim est, posse inflammationem vteri oriri e constitutione quadam corporis peculiari, velut ex partus laboribus, quod vt SVIETENII ²⁷⁾, aliorumque medicorum experientia docuit, ita et mea mihi comprobavit. Verum enimvero haec inflammatio non semper adest in hoc morbo, saepius deum in morbi continuatione erumpit, non in puerperis tantum, sed et in aliis personis. Omnino autem (id quod rem conficit) nunquam morbus dici potest causa alius morbi, etsi alius inde sequatur. Sic saepe phthisis oritur e peripneumonia: sed in peripneumonia status hypersthenicus, in phthisi status asthenicus cernitur. Eodem igitur iure morbos pectorales, capitis, dicere quis possit causas proximas; nam his, vt aliis multis, obnoxiae sunt puerperae: quod tamen quam perperam quis dixerit, quot quantosque errores necessario inde sint prodituri, quisque intelligit sponte.

§. 14.

β) *intestinorum et omenti.*

Alii, quorum principes sunt HVLMIVS ²⁸⁾, et LEAKIVS ²⁹⁾, *inflammationem intestinorum et omenti* proximam causam febris puerperarum censuere. Sed hi ipsi in duas abierunt partes. HVLMIVS enim e pressione vteri grauidi in intestina et omentum oriri ait obstructions, atque adeo inflammatio-

B 2

nem.

27) In Boerhau. aphor. p. 450.

28) *Von dem Kindbettfieber. Aus dem Engl. Lips. 1772.*29) *Practische Bemerkungen der Krankh. der Kindbetter, und Schwang. a. d. Engl. Lips. 1775.*



nem. At partu puerperae liberantur ab hac pressione; nonne igitur hoc cadit potius in grauidas? LEAKIVS autem conge-
 ftionem sanguinis rapidam in vasis sanguiferis constricto e partu
 vtero, extendere vasa sanguifera contendit, ita vt prodeat inflam-
 matio. Cui quidem theoriae obstat partim hoc, quod ea con-
 gestio non semper adest, partim quod in tali debilitate, quam
 ponit extensio vasorum sanguiferorum, non facile locum habe-
 re potest inflammatio. Sed fac, febrem esse inflammatoriam;
 itaque et venae sectiones vtilissimae erunt. At vel HVLMIVS
 cum LEAKIO magnam cautionem ea in re adhibendam mo-
 nent, ita vt prior omnem morbum depelli maluerit euacuantibus
 per os et anum. Neque vero huc faciunt materia puru-
 lenta, et maculae gangraenosae, quum et absint interdum
 hae maculae, nec semper gangraenam comitetur inflammatio.

§. 15.


γ) peritonei.

Eadem argumenta, quibus refellere conati sumus HVLMIVM, ac LEAKIVM, contra HVNTERVM³⁰⁾ faciunt, qui
inflammationem peritonei ponit causam proximam febris puer-
 perarum. Noui, VOGELIVM³¹⁾ quoque reperisse talem in-
 flammationem, sed eundem etiam noui monere, hanc non sem-
 per esse vnicam causam habendam, quum non semper adsit.

§. 16.

30) v. Edinb. essays To. 4. germ. in Tode's Bibl. To. 6. p. 33.

31) Handb. der pract. Arzneywissenschaft. To. 2. p. 332.




§. 16.

Quodsi haec quae adhuc disputauimus, collegerimus, prodibunt inde, nisi egregie fallor, haec: morbum hunc varia offerre obseruantis menti symptomata, non diuersa tantum, sed vel contraria, neque adeo ab vna eademque causa effecta: multa in hoc morbo habita esse pro causis proximis, quae tamen non essent nisi occasionales, vel etiam effecta morbi: febrem puerperalem sic dictam in puerperis magis esse letalem, ob maiorem scilicet irritabilitatem, neque tamen eum esse morbum peculiarem, quum non vlla facile sit febris species, cuius non induat formam.

§. 17.

Diagnosıs morbi.

Transeo ad partem huius diatribae meae secundam. Vt enim recte cognoscatur ingenium atque indoles morbi, medicus, abiectis omnibus opinionibus praeconceptis, examinabit potissimum, quo in loco versetur aeger, quaenam sit caeli temperies, quod anni tempus; diligenter quaeret, quinam maxime morbi grassentur illo tempore, et quomodo agant in aegrotum; cognoscet accuratius, quae sit corporis constitutio, qua aeger vitur, quam sequatur viuendi rationem; explorabit statum animi in morbo, et ante morbum; in alui excretionem faecium colorem, atque odorem, vrinam quoque obseruabit; lingua humida sit, an sicca, an salina obducta, et cuius coloris, videbit; indagabit, quinam sit gustus, quinam appetitus,



titus, an fitis adsit, an nausea, an vomituritio. Porro scrutabitur, quae sit respiratio, lac et lochia adsint, necne, an desit alterutrum. Certior fiet de ratione partus, vtrum adsit placenta, an desideretur adhuc, sitne natura soluta, an arte. Denique pulsus indagabit, coloremque ut oris, ita cutis vniuersae, lustrabit.

§. 18.

Descriptio.

Initium capit febris puerperarum interdum statim post partum, saepius die secundo, tertio, quarto usque ad septimum post partum, nonnunquam quarta demum, aut quinta septimana. Nonnulli eam in ipso partu deprehendisse sibi videntur. Est vero febris continua remittens, nunc ordine quodam suo et norma procedens, nunc non, cuius exitus pendet vel a vehementia, vel a corporis constitutione. Et HIPPOCRATES³²⁾ quidem diem septimum ponit vitae finem, raro vigesimum, OSIANDER³³⁾ quartum, septimum, aut nonum, alii tertium. Ipsemet vidi puerperas, quae per plures septimanas morbo iacerent afflictae, qui tandem in febrem lentam degeneraret, sensimque mortem contraheret.

§. 19.

32) de morbis mulierum. l. I.


33) *Beobacht. Abhandlung, und Nachrichten, welche vorzüglich Krankheiten der Frauenzimmer, und Kinder, und die Entbindungswissenschaft betreffen.* Tubing. 1787. 8.

§. 19.

Synocha.

Iam si febris puerperae ad id genus pertinet, quod *synocha* dicitur³⁴), vt fere fit in robustis et fortibus, qui alimentis nutrientibus vti erant, et potu forti, plethoricis, tempore verno, et omnino in mutatione temporis et anni, adsunt fere haec. Incipit morbus a frigore et tremore, concutienti, quem excipit calor totum corpus permeans, cum pulsu forti, duro, pleno. Oris color immutatus est, oculi fulgent, et ignem quasi spirant; motus cordis vehementiores: os, labia et lingua humida ab initio, morbo increfcente sicca, et rubicunda, non refrigeranda copioso potu. Respiratio ardens est. Ardorem sequitur sudor, et languor. Durante frigore desunt interdum lac et lochia, saepius in ardore, maxime post exacerbationes. Quodsi inflammatio loco certo insidet, quae in puerperis maxime contenta cavitatis abdominis et pelvis occupat, tumor ibi reperietur, et durities palpabilis cum dolore pungente et ardente, fere in abscessus et apostemata transiens. Urina tum est fere rara, ardens, et rubicunda; abdomen obstructum; sedes, si adsint, siccae et cum dolore coniunctae. Si ventriculus et intestina fordibus scatent, sequitur fere meteorismus, nausea, vomituritio, gustus amarus. Aegroti inquieti.

34) Ea enim febrium descriptio, quam Reilio debemus, reliquis omnibus praeferenda videtur. Nunc non licet mihi persequi singulas species morborum in partu obuiorum, sed in generibus tantum morabor, ita tamen, vt peculiaria euenta puerperarum annotem.



inquieti sunt, delirant nonnunquam vehementius, insomnes somnia horrenda fingunt. Interdum sequitur haemorrhagia narium, in qua sanguis est firmioris consistentiae et nigricantis coloris, cruor obductus crusta densa coloris viridiusculo-flaui. Horum symptomatum si desint nonnulla, si in topica inflammatione pulsus fuerit minutus, extremitates, et facies frigida, abdomen modo vel pars inflammata ardens et calida: tum vero morbus est complicatus.

§. 20.

Prognosis.

Haec igitur febris nisi antea neglecta fuerit, quam ad summum peruenerit gradum, spem non recidit: neglecta in typhum transit, mortemque accelerat. Bonum tamen exitum promittunt haec: pulsus, qui post venae sectionem propius abest a naturali, doloris fixi imminutio, sudor lenis et calidus totum corpus perspirans, vrina frequentior cum sedimento, lingua humidior, mollis, et purior, delirium cessans, et quies.

§. 21.

Contra si post venae sectionem, vel copiosam et iteratam ardor fuerit auctus, et reliqua symptomata subsequuta fuerint: tum fere sequuntur infarctus inflammatorii letales viscerum, et gangraena. In primis tum adest dispositio puerperae ad metastases suppuratorias, quae coagulabilis et semipurulentae lymphae transfudationem ex vasis in telam cellulosa[m] admo-
dum

dum probabilem reddit. Atque ex hac quidem materie explicari possunt abscessus sine inflammatione locali, sedimenta frequentia purulenta in vrina, lochia purulenta, et secessus per aluum eiusdem generis.

§. 22.

Eius caussa proxima.

Causa proxima huius febris quaerenda est in adaucta irritabilitate coniuncta cum vi agendi relative admodum forti organorum febricitantium, s. in adaucta irritabilitate, integris et illaesis tono et contractilitate organorum febricitantium, quae a condensatione fibrarum sunt deriuandae.

§. 23.

Causae remotae et praedisponentes.

Causae remotae sunt habendae omnes impressiones externae in organisationem, vt frigus, aëris subita mutatio, animi pathemata vehementia, terror, ira, et alia. *Praedisponentes* sunt corpus bene nutritum, et plethoricum, grauiditas, fordes intestinorum maxime biliosae, partus difficillimus, interdum retentio lochiorum, et corruptio lactis.

§. 24.

Typhus eiusque descriptio.

Nunc de secundo genere! Etenim si morbus refert *typhum*, vt fere fit in personis debilibus, tenellis, hysteriis, C
paupere-

pauperibus, qui victu tenui erant vsi, vel vbi vda fuerit temperies, regio paludosa, et vliginosa, ciuitas magna, in nosocomiis maxime: tum vero morbus est perniciosior etiam, proditque fere haec. Ab initio statim aegroti longe sunt infirmiores atque debiliores, quam synocha constricti. Energia functionum corporis non est eadem. Frigus, quod sentiunt ab initio minus est forte et continuum, sed potius est horror coniunctus cum calore saepius reuertente. Calor autem ipse saepius occupat nonnisi abdomen, ita, vt omnes extremitates cum facie frigeant, posterior maxime sit hippocratica, quam dicunt. Labia caeruleo colore liuescunt, pinnae narium diducuntur, pulsus celer est, frequens, paruus, debilis, intermittens. In tubo intestinali, quippe cuius vis saepius iam antea esset imminuta, congesta quaedam materies biliosa, pituitosa, ac putrida in regione epigastrica dolorem excitat hebetem, coniunctum cum nausea, ructu putrido, atque vomitu. Abdomen intumescit atque eleuatur, adsunt inflammationes, et borborygmi.

§. 25.

Lingua ab initio alba, et vda mox crustam induit mucosam, tum ardore exsiccatur, ac nigrescit: crusta autem colorem subfuscum sumit. Similis materies dentes quoque obducit. Cibum et potum ni fuerit frigidus et acidior, respuit aegrotus, maxime vero calidum potum. Lac aquosum mammillarum aut minuitur, aut plane deficit. Lochia fluunt rariora, aut plane non, et si, vt fit, in summo morbi gradu fluunt, putida sunt, saepius.

facpiusque adeo acra, vt vel linteum corrodant. Urina turbida, serosa, pallida, cum filamentis. Sudor vehemens, partialis nonnunquam, frigidus, transit in colliquationem, qua admodum debilitantur aegroti. Facillime in hoc morbo oritur diarrhoea, aluique eiectiones copiosiores sunt, aquosae, et putridae, et in summo morbo inscio fiunt aegroto. Non raro etiam in pectore primum, tum per totum corpus comparent peticulae, vel pustulae miliariae tam albae, quam rubrae. Cavitationem oris atque fauces occupant aphthae, maxime vbi nimis calidus fuerit locus, in quo aeger versatur. Vel pemphigum in muliere nostrae ciuitatis animaduerti. Fere tristes delirant, sed sine ardore, ita vt mussitent potius, floccosque legant. — Et in his nonnulla interdum deesse pro maiori minorique morbi vi, non opus est, vt moneam.


§. 26.

Prognosis.

Typhum per se quidem magis esse periculosum synocha, sponte intelligitur. Sed sperari tamen potest, si locum habeant sequentia; si nempe vires vitales non fuerint nimis debilitatae, facies non immutata, sed naturalis; si somno recreante deliria, et neruorum affectiones aut cessauerint, aut imminutae fuerint, ita vt aegrotus sibi sit conscius; si cutis fuerit mollis, sudorque calidus, lenis, totum perspirauerit corpus, calorque aridus decreuerit; si vrina non fuerit calida, sed frequens cum sedimento; si functiones sphincteri ani naturales fuerint,

C 2

certe



certe quam proxime ad naturam accesserint; vel vbi sequatur diarrhoea lenta, quae aegrotum subleuet, ita, vt cessent meteorismus, cedant borborygmi intestinorum cum dolore; denique si lingua et os molluerint, pulsus eleuatus naturalior fuerit, lac et lochia non plane disparuerint, sed redierint.

§. 27.

At vbi vires vitales ab initio statim fuerint debilitatae, aut subito imminutae in morbi continuatione, vbi pulsus minor, et magis intermittens, ita vt crescat angor aegroti, ipseque inquietus insomnes ducat noctes, respiratio sit anhelosa, motus neruorum atque deliria vehementia, et sine remissione, vbi exanthemata subito nata subito etiam disparuerint, aut assumserint colorem liuescentem, atrumque, vbi euacuationes alui non fuerint arbitrariae, extremitates frigidae riguerint, lingua nigrescens tremuerit, vox et loquela rauca ac quasi extincta, cum singultu: tum vero, etiamsi lac non adfuerit, recte de vita aegroti dubitabitur.

§. 28.

Causae.

Atque hic *caussa proxima* quaerenda est in adaucta irritabilitate, tono vero et contractilitate organorum febricitantium imminutis, quippe quae pendeant a partium organicarum conjunctione soluta. Ad *caussas remotas* pertinent epidemica constitutio, regiones paludosae, potiones frequentes calidae, cura
rae

rae nimiae, atque sollicitudines, horror et timor, victus tenuis. *Causae praedisponentes* sunt in corporibus, quorum tubus intestinalis saepius fuerit obstructus fordibus congestis, tum grauiditas, partus difficilis, morbi, qui antea praecesserint, secundinae in corpore residuae, quae facile abeunt in putredinem.

§. 29.

C u r a t i o.

Pergo ad curationem huic morbo adhibendam, quam, quum morbi puerperarum admodum inter se differant et causarum, et symptomatum respectu, facile etiam patet esse debere variam, accommodatam scilicet indoli febris detectae, et peculiaribus eius *περιστάσει*. Quantumuis autem fuerit varia, tamen non aegre reperietur, modo non constrictam teneant medici mentem opiniones praeconceptae.

§. 30.

Etenim nonnunquam vel iustum tempore grauiditatis regimen diligenter obseruatum morbum impedire reperietur. Vnde in hoc potissimum medicus elaborabit, et ita, vt interdicit vsu ciborum minus digestibilium, potus spirituosus, omnique omnino nimio; deinde, vt maxime periculum corpus quocunque modo constringendi ostendat, modicam, non vehementem commendat motionem; vt quouis modo caueat obstructionibus; vt videat, ne in partus labore refrigerentur,

nimisue annitantur, neue male ab obstetrice tractentur puerperae. Sed vel sic epidemicis maxime morbis reperientur obnoxiae. Itaque accuratius de singulis exponam, ita tamen, ut, quod fert instituti ratio, in duobus tantum antea dictis, synochae nempe et typhi, generibus morer.

§. 31.

Synochae.

Si enim *synocham* medicus agnouerit, tum vires exaltatae methodo antiphlogistica erunt remittendae. In primis tamen videndum est, inflammatio siue vniuersalis, an partialis. Si enim fuerit vniuersalis: tum mox venae sectiones vniuersales instituendae; quod si neglectum fuerit, periculum augetur. Si vero fuerit partialis, velut vteri, ouarii, omenti, peritonei etc. tum videndum diligenter, vires aegrotae an vniuersalem admittant venae sectionem, an topicam tantum, in parte nempe affecta. Fit illud fere cucurbitulis, aut hirudinibus in regione pubis. Neque minus vtilia reperientur vesicatoria abdomini applicata, enemata, et thermasmata, emollientia, et cataplasmata id genus. Sub initium morbi linimentum volatile post venae sectionem vtilissimum reperietur.

§. 32.

Cum his externis medicamentis interna etiam coniungenda. Sunt autem maxime haec: acida vegetabilia, in primis oxymel simplex, nitrum, sal ammoniacum, et diaeta huc faciens.

ciens. Quodsi his omnibus non resoluta fuerit inflammatio, ita vt fiat abscessus: tum vero ille versus partes externas alluciendus, et quam celerrime scindendus, ne sponte in cauitate abdominis rupta materia purulenta arrodant intestina, fistulasque, aliaue mala chronica efficiat insanabilia.

§. 33.

His adhibitis lochia fere sponte redeunt, quae antea haesitauerant, aut defuerant: sin minus, pediluua, iniectiones calidae in vaginam, cucurbitulae lateri crurum interno, hirudines labiis pudendorum adhibendae, ne morbus augeatur.

§. 34.

Ad lac reducendum, eiusque retentionem cauendam id in primis agendum, vt lactentes mox, ac saepius, mammis admoueantur; qui si non suxerint, cucurbitulae siccae imponendae, fomentationesque emollientes adhibendae.

§. 35.

Possunt etiam sordes reperiri in primis viis, quae si vereri potest medicas, ne augeant morbum, quod fere in pueris locum habet: eae sordes post venae sectionem, inflammationeque imminuta, solutae debent egeri, lenissimis tamen medicamentis, vt enematis lenibus, pulp. Tamarind., pulp. Cassiae, Mann. emuls. amygdal. Tinct. Rhei aq. oleo ricini et aliis.

aliis. Atque tum fere, vel sine venae sectione inflammatio, nisi topica fuerit et nimia, sanatur.

§. 36.

T y p h i.

Febris puerperarum si *typhi* indolem prae se ferat, causae occasionales remouendae sunt quam celerrime. Sic miasma epidemicum puritate aëris maxime in cubiculo aegroti cavendum. Sordes enterorum ante egerendae, quam vires aegri deficient. Si superne inturgescant, emetica danda, ipecacuanha maxime (nam antimonialia, ut tart. emeticus, fere diarrhoeam efficiunt, qua nimis debilitantur aegroti); si vero in partes inferiores declinent, enemata, vel laxantia, lenia supra dicta adhibenda, imprimis anima Rhei. Omnino autem videndum, ne simul et nimis vehementer haec medicamenta operentur.

§. 37.

Deinde irritabilitas organorum medicamentis sedantibus remittenda. Ea vero sunt vel generalia, vel specificè in organa agentia. Adhibentur castoreum, moschus, infus. fl. Sambuc., infus. chamom., camphor., Valerian, ass. foetid., liq. C. C. succ., externe cataplasmata, inunctiones, balnea calida et frigida. Irritabilitas topica interdum alio topico irritamento potest minui. Sic dolor capitis vehemens idiopathicus cedit fere vesicatoriis brachio, vel nuchae impositis. Neque

que

que opium praetermittendum, quod in delirio, (nato ex irritabilitate exaltata cerebri, non vero ex inflammatione partis cuiusdam, nec e sanguine) dolore capitis et artuum, (qui sine causa materiali oritur) in praecipua irritabilitate sensuum, ut in photophobia, aurium sensibilitate, in tendinum subsultu, omnino in spasms et conuulsionibus, in somni defectu utilissimum reperietur.

§. 38.

Quod supra de retentione lactis in synocha diximus, etiam hic valet. Sed parum fere proficiunt illa, quum lac aut plane deficiat, aut, si in bono morbi exitu comparuerit, a viribus potius aegroti restitutis repetendum sit. Lochia non debent venae sectionibus restitui, nisi morbus fuerit complicatus, et inflammatio vteri adfuerit, quod fit interdum. Omnino vero summa hic cautio adhibenda, ne oriatur gangraena.

§. 39.

Non raro tollitur hoc modo febris, nisi plane fuerint fractae vires aegroti. Sublatis enim impedimentis functionum organicarum natura ipsa ministrante sanatio sequitur. Sed si debilitas nimia adfuerit, siue ante morbum nata, siue ex ipso morbo orta, addi debent medicamenta excitantia, et roborantia, ut crisis eliciatur facilius, et melior, ut partes debilitatae corroborentur, atque sic reconualescat aegrotus. Il-

D

lud

lud fit vino, intritis nutrientibus, extracto amaro, cort. cinn. peruu. etc.

§. 40.

Atque sic tandem eo deuenimus, vt pro instituti quidem ratione nunc saltem non habeamus, quid addamus. Quare lectores rogatos cupio, velint in iudicio de hac diatriba ferendo rationem etiam habere limitum, quibus circumscripta ea est. Ipse equidem intelligo, multa accuratius posse atque melius exponi, multa addi ad vberiore explicationem omnis rei: multa scio summis tantum labris a me delibata, quae penitus persequi potuissem. Ipse quoque agnosco, ac sentio virium mearum tenuitatem, ita, vt vel propterea petam, velint lectores aequi sedere iudices.

Obstern 120

